

*supplicii vindicent?* Non tulit populus nec patris lacrimas, nec ipsius parem in omni periculo animum: absolveruntque admiratione magis virtutis, quam jure causae. Itaque, ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. Is, quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quae deinde genti Horatiae tradita sunt, transmisso per viam tigillo, capite adoperto, velut sub jugum misit juvenem. Id hodie quoque publice semper refectum manet: *Sororium tigillum* vocant. Horatiae sepulcrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato.

## O R A T I O N E S,

### E X L I V I O C O L L E C T A E. \*

#### I. ORATIO MUCII SCAEVOLAE AD PORSENAM CLUSINUM REGEM.

Lib. II. cap. XII.

Mucius Scaevola, indignum ratus ab Etruscis obsideri populum Romanum liberum, qui servus sub regibus a nullis hostibus obsessus fuisse, impetrata venia a senatu, in hostium castra consilio regis Porsenae interficiendi penetrat. Ibi ad regium tribunal consistens, quum inter duos, uter Porsena esset, distinguere non posset, scribam regis pro Porsena obtruncat. Comprehensus per satellites, regi consilium voluntatemque suam exponit.

«Romanus sum civis: C. Mucium vocant. Hostis hostem occidere volui. Nec ad mortem minus animi est, quam fuit ad caedem. Et facere et pati fortiter, Romanum est. Nec unus in te ego hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo:

\* Ex edit. Mosquensi.